

QK XII, 339

II n  
655

ORDINIS IURIDICI DECANVS  
IOANNES STEPHANVS PÜTTER

I. V. D. REGI A CONSILII IUSTITIAE INTIMIS ET PROFESSOR  
IURIS PVBLCI ORDINARIVS

VIRORVM PRAENOBILISSIMORVM  
IOANN. HENR. CHRISTIANI ERXLEBEN

QVEDLINBURGENSIS

WILHELMI LVDOVICI RODOWE

OSNABRVGENSIS

ANTONII CHRISTIANI NIEHAVS

OSNABRVGENSIS

IOANNIS MARTINI ABELE

VLMANI

SOLLENNIA INAVGVRALIA INDICIT.

---

PRAEMISSA COMMENTATIONIS

*de instauratione imperii Romani sub Carolo M. et Ottonibus  
facta eiusque effectibus*

PARTE OCTAVA


*de erronea opinione, Germaniam ipsam esse Romanum imperium,  
aut, si maus, saltem partem Romani imperii.*

---

GOETTINGAE

EX OFFICINA P. A. ROSENBSCH MDCCCLXXVIII.





§. I.

**E**x quo semel inualuit opinio, regnum, cuius impe-  
rans solo Romanorum imperatoris titulo utitur,  
non aliud, quam Romanorum imperium esse, et ex quo  
plane superstruētum fuit isti opinioni egregium illud  
systema, in hodierno Romano imperio continuari quar-  
tam a Deo ordinatam Deique iussu ad Germanos trans-  
latam monarchiam; *duae* in primis *consequentiae* prono  
alueo inde fluere videbantur; vna scilicet: *Germaniae*  
*regnum nunc esse ipsum illud Romanum imperium*, aut, si  
mauis, *saltem partem Romani imperii*; altera: *imperato-*  
*res nostros, etiam tamquam reges Germaniae, esse successores*  
*pristinorum Romanorum Constantinopolitanorumque im-*  
*peratorum*. Quae vtraque consequentia tamquam erro-  
nea erroneae opinionis proles foecundaque aliorum por-  
ro errorum mater adhuc digna est, quae penitius inspi-  
ciatur.

*Ex hypothesi  
translatæ ad  
Germanos  
quartæ mo-  
narchiæ su-  
xerunt noui  
errores,*

## §. II.

quasi Germa-  
nia ipsa esset  
Romanum  
imperium aut  
saltem pars  
eius.

Primum quidem quod ad *denominationem regni* at-  
rinet, nihil forte simplicius, nihil naturae rei convenien-  
tius videri poterat, quam ut regni nomen cum titulo re-  
gis pari passu ambularet. Ecquis enim dubitauerit e. g.  
*Galliae* regnum vocare, quod rex Galliae regnat, seu  
*magnae Britanniae* regnum, cui rex magnae Britanniae  
praest? Quid proinde naturalius, quam *regnum Roma-*  
*num* esse, quod *Romanorum imperator* regit? Sed omni-  
no tamen superest, quod moneatur. Nimirum conse-  
quencia illa ut valeat, necesse modo est, ut *titulus* prin-  
cipis in *eadem qualitate*, qua regno illi praest, adsum-  
tus sit, *neque alias praeterea ditiones habeat* idem prin-  
ceps sub titulo isto haud comprehensas. Etiam si enim  
e. g. rex noster provinciarum suarum, quae ad Germa-  
niam pertinent, non aliam in titulis suis, quam Brunsvi-  
censium et Lunenburgensium ducis et electoris, mentio-  
nem faciat; nemo tamen ducatum Bremensem atque  
Verdensensem, quibus pariter rex imperat, licet titulum du-  
cis harum provinciarum pristino familiae suae titulo haud  
adiecerit, ideo unam eandemque cum terris Brunsvicen-  
sibus et Lunenburgensibus seu cum electoratu nostro dicio-  
nem, aut saltem partem electoratus constituere opinabi-  
tur. Verum non tam subtiliter rem distinxerunt maio-  
res nostri, sicuti nec desunt plura similia exempla, vel  
adhuc conspicua, quibus eodem errore regionum no-  
mina ex principum titulis immutata sunt, veluti qua ra-  
tione *ducatu Saxoniae titulus* in terras, quibus origina-  
rie nihil cum pristina Saxonia commune fuerat, migra-  
vit, et vel hodieque Thuringiae partes, quarum prin-  
cipes

cipes e ducum Saxoniae familia sunt, totidem Saxoniae ducatus, quot eorum principes sunt, vulgo nominari solent.

## §. III.

Fieri quidem potest, vt provinciae noviter adquisitione regno, cui adiacentur, ita incorporentur, vt iure sub illius titulo abhinc comprehendi possint, veluti quod docent Alfatiae et Lotharingiae exempla, quae antehac sub Galliae regno prorsus non comprehensae, nunc omnino Galliae provincias efficiunt. Similique modo plures originarie diuersi populi talem unionem inire possunt, vt iam sub communi vnus regni titulo comprehendantur; veluti qua ratione Angli et Scoti sub vno magnae Britanniae nomine nunc vniti sunt. Enimvero neutrum horum in imperio, de quo loquimur, Romano contigit, quippe cui nec incorporata nec reali eiusmodi unione vnquam iuncta fuit Germania. Sed eodem plane errore, quo incurium harum rerum ignarumque vulgus omnes regis nostri provincias Germanicas sub communi nomine electoratus Hannouerani haud raro comprehendere solet, quoque omnes, quae regi Prussiae parent, provinciae, quantumuis ab ipso Prussiae regno prorsus alienae, haud raro tamen vulgo sub communi Prussiae regni nomine comprehendi solent, similiter etiam communi sub imperii Romani denominatione intellectum medio aevo fuit, quidquid imperatori seu in Italia seu in Germania paruit.

*licet nunquam Germania incorporata sit imperio Romano.*

## §. IV.

Sic Ipsi sola  
de Germania  
sermo  
erat, nomi-  
natum fuit  
imperium Ro-  
manum,

Sic sollennior huius denominationis vsus vix cogitari poterat, quam in titulo, quem honori sibi ducunt principes Germaniae *electores*, quo sacri *Romani* imperii archiofficiales iam a pluribus inde seculis se vocarunt, hodieque adhuc vocant; licet certissimum sit, archiofficiorum illorum originem ab iis repetendam esse temporibus, quibus nondum Germaniae iunctum erat imperium Romanum, vt adeo reapse non imperii Romani, sed Germanici regni haec archiofficia sint. Multo minus est, quod miremur, omni alia occasione tam publicis quam priuatis antiquis nouisque in scriptis et monumentis adhiberi Romani imperii nomen, vbi reuera de regno Germaniae sermo est.

\* I. Quod ad *titulos electorum* attinet, primum, quod adhuc obseruatum fuit, in diplomate a. 1239. elector *Moguntinus* se nominavit *sacri imperii* per Germaniam *archicancellarium* (a), idemque titulus reperitur adhuc in diplomate a. 1428. (b). *Sacri* autem imperii hic non aliam esse significationem, quam *Romani* imperii inter omnes constat, licet a seculo demum XV. inde in diplomatibus Moguntinis expresse inserta deprehendatur *sacri Romani* imperii mentio (c). *Seculares electores*, nisi fallor, statim iam a seculo XIV. inde se nominarunt *sacri Romani imperii archiofficiales* (d). Hodieque omnes et singuli electores, vnico Bohemiae rege excepto, hoc encomio in suis ipsorum titulis vtuntur (e).

(a) GVDENVS *cod. diplom.* tom. I. p. 550.

(b) GVDEN. *l. c.* tom. 4. p. 238.

(c) GVDEN. *l. c.* tom. 4. p. 220. et 584. *Compara* progr. VII. §. 4. not. d. p. 20.

(d)

- (d) Sic e. g. in diplomate Palatino a. 1356. legitur: "Rupertus D. G.  
 „comes Palatinensis Rheni, sacri Romani imperii archidapifer et  
 „dux Bauariae." TOLNER *hist. Palat.* cod. dipl. p. 107. n. 154.
- (e) Meine Anleitung zur juristischen Praxis 2 Th. S. 66. u. f.

\* II. Quanam vero singulari ratione olim *Germaniae electores* locum *Romani senatus* se occupasse censuerint, mirum in modum docet diploma electionis Conradi IV. regis Romanorum Viennae datum anno 1237., sequentibus verbis: "Quam-  
 „quam in vrbis (Romae) initiis post memorabile Troiano-  
 „rum exitium, et deletam tam inclytam ciuitatem, apud illi-  
 „us congregationis patres summa regni potestas et imperialis  
 „creationis iusfragium resideret: ex successibus tamen et con-  
 „tinuis incrementis imperii, postmodum caescente virtute,  
 „tantae fortunae fastigium apud vnicam ciuitatem, licet prae  
 „ceteris regiam, non potuit contineri. Sed postquam etiam  
 „remotissimos terminos quadam girouaga peregrinatione lu-  
 „strauit, tandem apud Germaniae principes, non minus pro-  
 „babili, quam necessaria ratione, permanfit, vt ab illis origo  
 „prodiret imperii, per quos eiusdem vtilitas et defensio pro-  
 „curantur. Quum igitur nos Sigfridus Moguntinensis, Theo-  
 „dericus Treuerensis, et Bernardus Colonienfis archiepiscopi,  
 „Gerbertus Bambergensis, Sigfridus Ratisponensis imperialis  
 „aulae cancellarius, Frisingensis, et Patauiensis episcopi, Ot-  
 „to Palatinus comes Rheni, dux Bauariae, Wenceslaus rex  
 „Bohemiae, Henricus Lantgrauius Thuringiae, et B. dux  
 „Carinthiae principes, qui circa haec Romani senatoris locum  
 „accepimus, qui patres et imperii lumina reputamur, coram  
 „tremendo iudice de cura tantae villicationis oporteat reddere  
 „rationem, nobiscum sollicita meditatione pensantes, quod  
 „tantum negotium non tam fortis iudicio, quam industria pro-  
 „uisionis indigeat; illud etiam diligentius attendentes, quod  
 „quod post vnus regnantis occasum interstitium temporis in-  
 „ter praedecessoris obitum, et plenum dominium successoris,  
 „quod

quod *interregnum* antiquitus veteres appellabant, grande posset imperio et catholicae fidei maximum afferre discrimen, praeuenire salubrius tempus eligimus, quam dispendium temporis expectare. Nam licet per vires, industriam, et labores excellentissimi domini nostri Friderici Romanorum imperatoris semper Augusti, Hierusalem et Siciliae regis, cuius vitam et imperium cupimus, satis ad praesens imperio sit prouisum: quia tamen praeeminentia dignitatis longioris vitae beneficium regibus non concedit, praesentis vitae lubricum merito formidantes, ipso viuente salubriter et regnante feliciter, de successoris nobis electione prouidimus, ne per eius interitum iniustitia diminutionem status pateretur imperium, et tranquillitas interiret (f).”

(f) Vide integrum hocce decretum electionis in Franc. PIPINI *chronico* lib. 3. cap. I. apud MYRATORIVM tom. 9. p. 676.

\* III. Iam, spero, non erit, quod mireris auream bullam Caroli IV., capitulationem Caroli V. et sequentium imperatorum, omnesque fere reliquas imperii nostri leges in vtraque pagina mentionem iniicere *sacri Romani imperii*, aut breuitatis studio *innox sacri imperii*, *mox Romani imperii*, vbi reuera Germaniae regnum nominari fas erat (g).

(g) Sic e. g. in capitulatione caes. art. 16. §. I. legitur: *wir sollen und wollen im Römischen Reich Friede und Einigkeit pflanzen, Recht und Gerechtigkeit aufrichten ic.*, et art. 18. §. I. memoratur: *“Exemption von des Reichs Jurisdiction entweder durch Vertrag mit dem Römischen Reich, oder durch privilegia.”* Pax Nouiomagensis cum Suecia inita §. I. describitur tamquam *“pax inter sacram caesaream maiestatem, Romanum imperium, eius foederatos ab vna, atque sacram regiam maiestatem regnum, que Sueciae et eiusdem foederatos ab altera parte.”*



## §. V.

Neque tamen omnino fieri potuit, quin subinde di- ID) Subinde  
 stinguerentur *Germaniae* et *Italiae* negotia. Iisque in ca- modo distin-  
 sibus omnia quidem sub vnico Romano imperio compre- Eta est natio  
 hensa esse censebantur, sed vniuersum hocce imperium Germanica &  
 complures comprehendere nationes putabatur; perin- reliquo impe-  
 de circiter ac hodiernum magnae Britanniae regnum rio Romano.  
 Angliam Scotiamque duas origine diuersas nationes  
 comprehendit. Quare quemadmodum adhuc fieri pot-  
 est, vt particularia Scotiae negotia solo huius nationis  
 nomine tractentur; ita iam dudum et Germaniae seu  
 Teutonicae nationis negotia vocata sunt, quae a rebus  
 Italicis fecerni neceffe erat.

\* I. Sic iam in fynodo Romae a. 1078. habita decernebatur:  
 „nuncios a latere sedis apostolicae mitti, qui omnes religio-  
 „fos et iustitiae amatores in *Teutonici regni partibus* commo-  
 „rantes conuocent” &c. (*h*). Atque in concordatis Henri-  
 ci V. et Calixti II. a. 1122. initis hic: “Ego Calistus”, in-  
 „quit, —” Henrico D. G. Rom. imp. Aug. concedo electio-  
 „nes episcoporum et abbatum *Teutonici regni*, quae ad re-  
 „gnum pertinent, in praesentia tua fieri”. — Electus au-  
 „tem regalia per sceptrum a te recipiat, exceptis omnibus,  
 „quae ad Romanam ecclesiam pertinere noscuntur. — Ex  
 „aliis vero *partibus imperii* consecratus, infra sex menses re-  
 „galia per sceptrum a te recipiat (*i*).” Quumque post mor-  
 tem-Wilhelmi Hollandici Alexander IV. electores ecclesiastico-  
 cos moneret, vt ne Conradinum regem eligerent, quum puer  
 ad defensionem ecclesiae inutilis foret; addebat: “Nec per  
 „hoc etiam consuletur *amplo et spatioso regno Teutoniae* de re-  
 „ge vel rectore condigno, quum male possit alios regere, qui  
 „non nouit gubernare se ipsam (*k*).”

B

(h)

(b) PAUL BERNRIEDENSIS *vita Gregorii VII.* §. 99. p. 446.

(i) SCHMAVSS *corp. iur. publ.* p. 3.

(k) LEIBNITZ *prodr. iur. gent. diplom.* n. 13. p. II. sq.

\* II. Eadem ratione Conradus III. Ioanni Constantinopolitano imperatori commendabat "homines imperii sui *Teutonicos videlicet*," perinde ac si magnae Britanniae rex commendaret alteri cuidam regi quosdam imperii sui homines, Scotos videlicet, aut, si mauis, Rex Prussiae si cui commendaret homines imperii sui, Silesiacos videlicet (l).

(l) OTTO FRISING lib. I. cap. 23. vid. progr. 5. §. 13. p. 14.

### §. VI.

III) Denique inualuit nomen imperii R. G. tamquam e duabus nationibus consistens.

Sic denique inualuit vsitata satis denominatio imperii *Romano-Germanici*, licet in actis publicis non tam frequens ea quam in libris Iureconsultorum occurrat (m). Quodsi vero solam Germaniam seiunctam ab Italia indiguitare opus est; solius *Germaniae* seu *nationis Teutonicae* vocari quoque solet (n); subinde et dispescitur *Romanum imperium*, quatenus *intra fines Germaniae* vel *extra illos* (p), *cis* vel *trans Alpes* (q), *continetur*. Rarius olim, frequentius quidem nouiore aetio simpliciter *Germanicum imperium* vocatur (r). Sed incredibile est, quam diu obtinuerit peruersa illa opinio, *ipsam Germaniam esse Romanum imperium*, aut si mauis eius partem, quamque peruersae inde emanauerint aliae grauissimarum rerum confusiones (s).

(m) Moser von Teutschland S. 18. §. 26. In declaratione nomine regis Sueciae d. 18. Iul. 1762. in comitiis imperii facta legebatur inter alia: "Neque amicitiae et studio, quae regia maiestas erga *imperium Romano-Germanicum* ducitur. — Tam fixum ipsi deest, statutumque est, paci fociare memoratum erga *imperii Romano-Germanici*."

- „*Germanici iura legesque studium.*“ Neue Europ. Staatskanzley 9. Th. S. 255. u. f. Aliis adridet magis denominatio *Germanico-Romani imperii*, vsu tamen haud recepta. Spencers Staatsrecht 2. Th. S. 22., LVD EWIG *singularia iuris publ.* p. 155.
- (u) Sic e. g. elector Moguntinus S. R. I. *per Germaniam archicancellarius* vocatur. Et concordata *nationis Germanicae* tam in inscriptione, quam in contentis hac denominatione vtuntur. In capitulationis caesareae introitu legitur: „zur Ehre und Würde des Römisch-königlichen Namens, deren wir uns auch Gott zu Liebe, dem heil. Röm. Reiche zu Ehren, und um der Christenheit und Teutschen Nation, auch gemeinen Nutzens willen beladen;“ deinde art. 1. §. 2: „Wir wollen die Teutsche Nation, das heil. Röm. Reich, und die Churfürsten — bey ihren Rechten lassen.“
- (o) CAPITVL. CAES. art. 16. §. 2.: „Wir wollen keinen Stand des Reichs ausserhalb dem Reiche Teutscher Nation heischen und laden;“ — art. 23. §. 1.: „Wir wollen unsere Residenz im heil. Röm. Reiche Teutscher Nation halten;“ — art. 24. §. 1. 2.: „den Reichshofrath besetzen nicht allein aus unsern Untersassen, sondern mehrentheils aus denen, so im Reiche Teutscher Nation anderer Orten geböhren und erzogen ic.“
- (p) CAPITVL. CAES. art. 10. §. 1.: „dem heil. Röm. Reiche und dessen Zugehörungen inn- und ausserhalb Teutschlands;“ — art. 10. §. 10.: „alle dem Römischen Reiche angehörige Lehen und Gerechtigkeiten inn- und ausserhalb Teutschland, und sonderlich in Italien. ic.“
- (q) In decreto commissionis caesareae d. 17. Mart. 1727. legebatur: „Damit sonderlich das Römische Reich dieß- und jenseits der Alpen in Ruhe und Einigkeit erhalten werden möge.“ Moser von Teutschl. S. 15. §. 20.
- (r) Suffragium imperii d. 11. Ian. 1732.: „zu des gesammten Teutschen Reichs selbsteigener Conservation.“ SCHMAVSS *corp. iur. publ.* p. 1404. Decretum commiss. caes. d. 5. Iun. 1758.: „auf daß die Ruhe im Teutschen Reiche hergestellt werden möge.“ Neue Staatskanzley I. Th. S. 419. Declaratio regis Galliae d. Iun. 1761.: „Les malheurs sous lesquels l'Empire Germanique a gemi.“
- (s) Adposite iam disquisit Fried. WIDEBURG: ob Teutschland mit Recht ein Römisches Reich genannt werde: in seiner Sammlung vermischter Anmerkungen ic. (Halle 1751. 8.) S. 1 25. In SENKENBERGII *methodo iurisprudentiae* (Francof. 1756. 4.) p. 103. §. 9. a. allegatur anonymi libellus: „Teutschland ist nicht das Römische Reich, und die Römischen Gesetze demselben nicht in allen



allem vorträglich, doch auch in vielen nöthig. Gedruckt 1672.  
12." quem quidem libellum nondum vidi. Rem ipsam alia occa-  
sione, Deo volente, prosequar.

Nunc verò abrumpendum mihi est, vt transeam  
ad honores quatuor praestantissimorum iuris candidato-  
rum indicendos. Quorum quidem ante omnia exhibeo  
rationes vitae et studiorum ipsa eorum narratione expo-  
sitas.

Primus nempe

VIR PRAENOBILISSIMVS

IOANN. HENRIC. CHRISTIANVS ERXLEBEN,

QVEDLINBVRGENSIS,

Natus sum, inquit, Quedlinburgi d. XIV. April. a. MDCCLIII.  
patre IOANNE CHRISTIANO ERXLEBEN ad templum  
D. NICOLAI DIACONO, et matre DOROTHEA CHRISTIA-  
NA nata LEPORIN, quae ipsa, permittente Rege editisque speci-  
minibus legitimis, ob eruditionem suam, honores in arte salutari  
summos ab ordine medicorum Halensi obtinuit. His optimis pa-  
rentibus non grauior incubuit cura, quam vt infantiae meae diligen-  
ter fusciperent educationem.

Sed a primis statim annis, res aduersas, inconstantisque fortu-  
nae expertus sum vices; et pater mihi ereptus est optimus, quum  
vix hoc dulci nomine eum appellitare possem. Nec vnicum sola-  
tium, carissima venerandaque nempe mater, diu superfuit, sed haec  
etiam triennio post obitum patris pie defuncta est; sic vt nullum pie-  
tatis officium parentibus praestare possim, nisi gratissimam ad cine-  
res vsque duraturam memoriam. His calamitatibus oppressum, pa-  
trio amore prosequutus est, auunculus optimus, CHRISTIANVS  
POLYCARPVS LEPORIN, militum aegrorum medicus primarius,  
in cuius domicilio, quod Neoburgi ad Visurgim habuit, educatus,  
pri-



prima litterarum tirocinia posui. Georgiam Augustam deinde a. MDCCCLXXI. accessi, eiusque albo, IO. PHIL. MURRAY iam beato faeces academiæ tenente, inscriptus sum. Doctores ibi viros illustres habui, quibus tunc Goettinga splendebat et adhuc splendet. In Geographia nempe excellentissimum GATTERER; in mathesi applicata et algebra illustrem KAESTNER; in logica, metaphysica nec non in iure naturali excellentissimum FEDER; in mathesi, physica, historia naturali et arte chemica, amantissimum fratrem, quem nuper fato ereptum duro nunquam non dolebo. Theoriam iuris priuati romani, mihi tradiderunt viri illustres atque excellentissimi BOEHMER et MEISTER; elementa iuris germanici priuati et publici, nec non historiam imperii ducibus illustri PÜTTER et generosissimo de SELCHOW accepi; In processualibus, ceterisque practicis institutis, praeceptores habui viros illustres, PÜTTER, BEGMANN et CLAPROTH; in iure denique canonico, feudali et criminali illustrem BOEHMER et illustrem MEISTER, quorum omnium in me tot tantaque exstant singularis beneuolentiae vestigia, vt detestandus mihi viderer, si gratam animum, dum vita supererit, vnquam deponere possem. Hac itaque ratione per triennium litteris vacavi, et a. 1774. munus notarii publici caesarei, a viro plurimum reuerendo I. P. MILLER, S. S. Theologiae Doctore, et pro tunc magnifico academiæ Prorectore, mihi collatum est, nec longe post Cellas me contuli; ibique ad preces humillimas, praeuio examine, a summo prouocationum tribunali in numerum aduocatorum receptus, munusque notarii confirmatum fuit. Sic per aliud triennium et quod excurrit, omni studio curavi, vt principia iuris, quae edoctus eram, eo modo in iudiciis a me applicarentur, vt utilis aliquando essem. Aliorum quoque studiis vt manus auxiliatrices praerberem adhibitus, tam ius ciuile et criminale quam practicas scientias priuatissime interpretatus sum. Tandem ab illustri ICtorum ordine Goettingensi, summos in vtroque iure honores omni, qua fieri potest, obseruantia petii, adque examen d. 31. Ian. 1778. instituentum, admissus sum.





Alter

VIR PRAENOBILISSIMVS  
WILHELMVS LVDOVICVS RODOWE  
OSNABRVGENSIS,

Natus sum, inquit, Osnaburgi anno Saeculi quo viuimus LIII  
 mense Nouembri. Patrem in viuis adhuc veneror MICHAEL-  
 ELEM FRIEDERICVM ROBOWE mercaturam profitentem; ma-  
 trem vero REGINAM MARGARETHAM e gente STORKIA-  
 NA praematura morte mihi creptam lugeo, eiusque memoriam de-  
 siderio non intermorituro nunquam non prosequar. Optimi hi pa-  
 rentes, vt tum religionis, tum earum litterarum principiis, quibus  
 puerilis instrui solet aetas, imbuerer, dignorum praeceptorum curis a  
 teneris inde me tradidere. Ita adultior paulo factus Gymnasium se-  
 natorio-patrium frequentauit, vbi M. PR. WAGNERI Professoris,  
 beatorum numero iam adscripti, LVD. WISSII pie quoque de-  
 functi et tunc temporis Conrectoris, nec non qui eius vices suscepit  
 SOESTMANNI et denique MICHAELIS institutionibus doctrinis-  
 que interfui; quos viros, optime de me meritos summa grati animi  
 significatione recordor. Ita factum est, vt ad studia academica prae-  
 paratus Lipsiam MDCCLXXIV peterem, vbi Rectore magnifico ER-  
 NESTO GOTTLIB BOSE in numerum ciuium academicorum  
 receptus sum. Prima vitae academicae tempora doctrinis philoso-  
 phicis et mathematicis nec non historiae dicaui. *Logicis enim mo-  
 ralisque philosophiae praecepta* illustri PLATNERO, *matheſin puram*  
 BORTIO et GEHLERO, *historiam vniuersalem* illustri IOANNE  
 AVGVSTO ERNESTI, et *historiam imperii* WENKIO praeuen-  
 tibus addidici. Themidis sacra postea ingrediens duces habui ac prae-  
 ceptores EINERTVM in *historia iuris*, *institutionibus* et *examinato-  
 rio ad eas*, SAMMETIVM vero in *iure naturae* et SCHOTTIVM  
 in *emetiendo pandectarum itinere*. Biennio, quod Lipsiae commora-  
 bas,

bar, praeterlapso, celeberrimam hanc Georgiam Augustam ad studia  
 profequenda prae aliis lubentissime elegi, et a perill. MEISTERO  
 tunc temporis academiae fasces tenente ordini academico adscriptus  
 sum. Hunc Virum clariss. *principia iuris criminalis* tradentem, nec  
 non Viros perillustres, G. B. BECMANNVM *iur digestorum, theo-*  
*riam processus, doctrinam de appellationibus et de inersurio* docentem,  
 huiusque fratrem O. D. H. BECMANNVM *hermeneuticam et libros*  
*terribiles* explicantem summa cum voluptate audiui. Ita et *iur ger-*  
*manicum* generos. DE SELCHOW, *processuale practicum* perillustr.  
 CLAPROTH indefessa cum diligentia mihi tradidere. Iucunda  
 quoque illius temporis semper erit recordatio, quo mihi SCHLÖ-  
 ZERVVM *historiam europaeam* et IOANNEM BECKMANNVM *scien-*  
*tiam cameralem* tradentes adire licebat. Vere tandem mihi gratulor  
 in addiscendis tum *iuris canonici, tum iuris feudalis principis* peril-  
 lustrem BOEHMERVM; in *iure publico vero, iure primato princi-*  
*pum, processu et historia imperii* nec non *praxi iuridica* perillustr. mi-  
 hique semper venerandum PÜTTERVM duces habuisse atque au-  
 spices, quorum uterque laudes meas longe excedit. Absolutis hac  
 ratione studiis meis academicis, ab inelyto ICTorum ordine debita et  
 qua par est obseruantia rogavi, vt ad consueta examina et specimi-  
 na pro obtinendis suo tempore in vtroque iure honoribus admitterer.

Tertius,

VIR PRAENOBILISSIMVS  
 ANTONIVS CHRISTIANVS NIEHAVS,  
 OSNABRVGENSIS,

Natus sum, inquit, Osnaburgi die XX. Augusti anno c10 Id ccliv.  
 Patrem habui HERMANNVM HENRICVM NIEHAVS,  
 mercatorem, matrem BEATAM ELISABETHAM ex gente  
 NEIDTLERIANA procreatam, quos tamen carissimos parentes  
 mors mihi in academiis commemoranti eripuit. Optimis hisce paren-  
 ti-



tibus, vt imbueretur animus primis et religionis et scientiarum principijs, curae maximae fuit. Elapsis infantiae annis Gymnasium, quod apud nos est, ingressus sum, ibique praeceptores habui b. M. IOANNEM FRANCISCVM WAGNERVM, b. WISSIVM, SOSTMANNVM et MICHAELEM, quorum non exigua in me merita grata mente agnosco. Ita litteris humanioribus et linguis peregrinis, Anglica nempe et Gallica instructus, iurisprudentiae vacaturus, academiam petii Lipsiensem, qua anno MDCCLXXIV. a viro Excellentissimo ERNESTO GOTTLÖB BOSE tunc temporis fasces academiae tenente in ciuium numerum sum receptus. Ibi viros auidui longe celeberrimos PLATNERVM philosophiam, SAMMETIVM ius naturae, atque EINERTVM iuris historiam institutionesque tradentes. Praeterlapso anni spatio lenam me contuli, et praedlectionibus pandectarum, iuris criminalis ac feudalis Perillustri HELLFELDII interfui. Principia iuris canonici et civilis ex ore Excellentissimi REICHARDTI percepi. Historiam quam dicunt vniuersalem, nec non historiam imperii et ius publicum me docuit Vir Illustris nunc beate defunctus IOACH. ERDMANN SCHMIDTIVS; in actionum doctrina denique praeceptore vsus sum Celeber, IOAN. LVDW. SCHMIDIO. Tandem studiis meis academicis finem imposturus ad hanc musarum sedem anno MDCCLXXVI. mense Octobr. accessi, et a Magnifico MEISTERO tunc temporis Prorectore in album ciuium academicorum sum inscriptus. Parum autem aberat quin statim Georgiam Augustam relinquere studiisque finem imponere debuissim, cum morte optimae matris, cuius cineres veneror, parentibus plane orbatus essem, nisi, auus meus venerabilis senex ARNOLDVS HENRICVS LANGE, quem, vt summum numen diutissime seruet incolumem, apprecor et cognatus meus optimus HENRICVS CHRISTIANVS STORCK ob humanitatem et erga me beneuolentiam post fata colendus, me absente, rerum mearum curam benigne in se suscepissent. Interim hic Perillustrem atque Excellentissimum BOEHMERVM in iure feudali, Perillustrem PÜTTERVM in iure publico, priuato principum et pro-



processu imperii audiuisse mihi gratulabor. Elementa iuris Germanici pererudite mihi explicauit Generosissimus de SELCHOW, theoriam processus me docuit Excellentissimus GVSTAV. BERNH. BECMANN, nec eius praelectionibus Digestorum vnquam defui. In processuali practico et arte relatoria ducibus Perillustri PÜTTERO et Celeberrimo CLAPROTHIO militaui. Principia scientiae cameralis a Viro Celeberrimo IOAN. BECKMANNO solidissime tradita accepi. Finito tandem studiorum cursu inclytum ICTorum ordinem adii, et ab illo summos in iure nostro honores ea qua par est obseruantia petii.

Quartus denique,

VIR PRAENOBILISSIMVS  
IOANNES MARTINVS ABELE

VLMANVS,

Natus sum, inquit, Darmstadii in Comitatu Catimelibocensi superiori die XXXI. Martii anni MDCCLIII. Parentes, etiam post fata animo venerandi gratissimo, fuerunt b. ALBERTVS LVDOVICVS ABELE, tum Cantor et Praeceptor Paedagogii, quod floret Darmstadii, illustris, et b. MARIA CATHARINA, familia SCHOENERINN; vtrique ciuitate Vlmenses. Elementis religionis et litterarum vix imbutus, patrem Vlmam vices praeceptoris et succentoris subiturum, anno LXI. secutus institutioni publicae Gymnasii statim traditus sum. Praeceptoribus fidelissimis sum fructus, quorum nomina hic referre, mihi incundum erit. Fuerunt nempe V. C. b. BOTZENHARDIVS, DÜRRIVS, WIEDENMANNVS, HASLERVS et MILLERVS. Anno LXIX. ad Lectiones vti vocant publicas post ritum Depositionis ab Ordine Philosophorum Tubingensi more in patria solito impetratum promotus cursum philosophiae aliarumque scientiarum per septem semestria persecutus sum.

C

Adii.

Adi Collegium Theologicum b. FRICKII, *Physicum* b. EHE-  
MANNI, Logicum et Metaphysicum WIDMANNI, Disciplinarum  
moralium b. HUTZELSDERI, Mathematicum FAULHABE-  
RI, Historicum MILLERI; qui et in ediscenda Lingua graeca mi-  
hi dux fuit, et Rhetoricum HASLERI. Praeter linguam Gallicam  
et Italicam plura collegia priuata frequentauit. Explicuit Elementa  
iuris ciuilibus secundum ordinem Institutionum D. RAV; Historiam  
Imperii recensuit D. BARTHOLOMAEI; Historiam vero ecclesia-  
sticam MILLERVS. Per spatium quoque triennale Consilium fan-  
ctius Patriae mihi accessum ad cancellariam modum expeditionum  
propius cognoscendi ergo, gratiose concessit. Praeparatus hoc mo-  
do anno LXXIII. consensu patronorum et parentum Academiam  
Eberhardino-Carolinam petii, cuius Prorektor Magnificus Vir con-  
sultiss. D. KAPFVS me ciuium numero adscripsit. Per semestria,  
quae in hoc litterarum stadio consumsi, quinque cursum iuris conti-  
nuauit. Idcirco praelectionibus in ius ciuile D. KAPFII, HARP-  
PRECHTIQUE interfui. Ius publicum ac feudale Perill. HOF-  
MANNVS docuit, Ius Canonicum vero HARPPRECHTIVS. In  
iure Naturae et publico vniuersali peruestigando institutione HOF-  
ACKERI fructus sum. Sed sub finem semestris quinti, quod et  
iam dudum in votis erat meis, Georgiam Augustam, apud Sueuos  
meos iure Celeberrimam adire, diutius differre animus non erat.  
Goettingae me aduenientem Vir illustris MEISTERVS, tum tem-  
poris Prorektor Magnificus ciuitate academica donauit. Qua fretus  
viros, quos iam pridem scriptis suis duces veneratus sum, accedere  
maxima voluptate coepi. Virum perillustrem BOEHMERVM ius  
ecclesiasticum ac feudale audiit. Vir perillustis PÜTTERVS in iu-  
re publico germanico, iure principum priuato, processu tribunali-  
um imperii, historia imperii et Encyclopaedia dux mihi fuit, sub  
cuius etiam censura elaborationibus iuridicis operam dedi. Virum  
illustrem MEISTERVM habui Doctorem iurisprudentiae crimina-  
lis; Illustrem ac generosum de SELCHOW vero iura Germanica do-

domestica docentem adii. Contigit mihi quoque, ut dignus haberer, qui Collectionem Deductionum, quam Bibliotheca regia instructissima seruat, vsui adhuc commodiori aptiorem redderem. Qui labor et me adhuc occupatum habet. Collegiis quoque cum iuuenibus repetendis operam dedi, et materias iuris et historiae ecclesiasticae, illustratione vltiori non indignas vna cum amicis elaborandas et publico lectorum iudicio sub titulo: *Magazin für Kirchenrecht und Kirchengeschichte* (erstes Stück Leipzig 1778.) edendas suscepi. Haec sunt, quae e vitae curriculo notatu non plane indigna censui. Nil vero nunc restat, quam ut et Doctoribus meis Goettingensibus pro solidissima ac fidelissima eorum institutione aequae ac beneficiis maximis in me collatis gratias, quas possum, maximas decentissimasque publice agam, eorumque benevolentiam et in posterum enixissime implorem.

Quatuor isti praestantissimi candidati summam sibi in academia nostra parauerunt laudem, tum quod ad morum probitatem attinet, tum singulari industria, qua legitimae iuris scientiae indefessam nauarunt operam. Certe in confessu nostro ad consueta specimina admissi, erudite commentati sunt ad textus veriusque iuris eis propositos, atque ad interrogationes nostras promte doctaeque responderunt. Quare quum vnanimi ordinis nostri suffragio decreti iis sint honores, ad quos iure meritoque aspirabant, prioribus tribus ii iam collati sunt, quartoque iamiam conferentur, posteaquam illi iam in cathedra publica sine praefide disputauerunt, quorum hic innox vestigia etiam hac in re premet. Nimirum

1) D. XXVIII. Febr. MDCCLXXVIII. lectione cursoria explicauit L. 2. D. *quando ex facto tut. vel cur.*, deinde dissertationem inauguralem *de eo, quod iuris est circa fictam possessionem, maxime quoad rei vindicationem*

C 2

et



*et hereditatis petitionem*, sine praefide publice defendit, eoque facto summos in iure honores me interprete consecutus est, quem primo loco nominavi, Ioann. Henr. Christ. ERXLEBEN.

II) D. XXIII. Mai. MDCCLXXVIII. instituta prius lectione cursoria ad L. 35. §. vlt. C. *de donation.*, defensione sine praefide dissertatione *de eo, quod iustum est circa euictionem in donationibus praestandam*, summos in iure honores me conferente obtinuit Wilhelmus Ludouicus RODOWE.

III) D. XXV. Mai. MDCCLXXVIII. lectione cursoria interpretatus L. vlt. C. *de euiction.*, sine praefide publice disputauit *de fideiussore minoris*; quo facto similiter honores in iure summos me interprete capessuit Antonius Christianus NIEHAUS.

IV) Denique ad D. IX. Iun. cathedram sine praefide adscensurus lectione cursoria interpretabitur L. 7. C. *de episcopali audientia*, deinde ex disputatione inaugurali mox plenius exaranda excerptas modo theses *de iure circa sacra nobilitatis imperii immediatae*, publice defendet, eoque facto summis iurium honoribus a me condecorabitur Ioannes Martinus ABELE. Quem publicum actum UT MAGNIFICVS ACADEMIAE PRORECTOR, PATRES CONSCRIPTI, HOSPITES OMNIUM ORDINUM ORNATISSIMI, CIVES ET COMMILITONES GENEROSISSIMI ATQVE PRAENOBILISSIMI honorifica et frequenti praesentia ornare velint, qua decet, obsequantia, rogo. P. P. Goettingae d. VI. Iun. MDCCLXXVIII.

ORDINIS  
IOANNES S

I. V. D. REGI A CONS  
IVR

VIRORVM  
IOANN. HENR

WILHELM

ANTONII


IOANNI

SOLLENN

PRAE  
*de instauratione imp*

P  
*de erronea opinione,  
aut, si mau*

EX OFFICI



II n  
655

TER

FESSOR

8-10

EBEN

OWE

IAVS

E

r.

Ottonibus

imperium,  
rii.

VIII.

